



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Vigesima quinta Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

fratrem, maritum habuit mater Matildis, Beatrix, eiusdem cum filia sua indolis. De eis inter Italiæ historicos nullus copiosus & exactius differuit quam Ioannes Baptista Pigna in historia principum Atestinorum. Iacobus autem Philippus in opere de claris mulieribus scribit Benedictinos in agro Mantuano singulis septimanis processionaliter ad eius tumulum accedere, & in memoriam beneficiorum eximiorum exsequias venerabiliter celebrare.

Cap. 145.

## Vigesima quinta Iulij.

1<sup>o</sup>. *De beato Ioanne Agno, episc. Leodiensi.*

*Ex chronicis Leodiens. quibusdam aliunde additis.*

**H**Vy, obitus beati Ioannis, Traiectensis ecclesiæ episcopi. Is re & cognomine Agnus, beati Amandi prædecessor, hæreditatem suam reliquit oratorio sanctorum martyrum Cosmae & Damiani, quod est in castro Hoyensi. Quo in loco etiam reliquias eius leuavit Ioannes, secundus eius nominis Leodiensis episcopus, anno millesimo ducentesimo trigesimo, easque recondidit in prædictorum martyrum altari.

Natalem quarundam ecclesiarum Martyrologia ponunt octavo Calendas Augusti. Qui tamen in Hoyensi castro non celebratur. Traiectenses autem omnium episcoporum suorum memoriam faciunt, die sexta Februarij.

Notat etiam Libertus Houthem, poma quæ vulgo sancti Ioannis dicuntur, ab hoc episcopo nomine habere. Quod se accepisse ex antiquissimo quodam manu scripto codice mihi per literas significauit.

## Die vigesima sexta Iulij.

1<sup>o</sup>. *De sancto Iorio episcopo.*

*Ex ipsius quæ contulit Iacobus Frenchus, Bethaniensis, sacra Theologia Baccalaureus.*

**B**Ethuniæ, natalis beati IORII peregrini, qui montis Sina episcopatum tenuit. Cuius festum in choro Canonorum sancti Bartolomei